

remedium, si avocationis ipsius quoquo demum necessaria erit, quia nullus ultra eidem cohabitare vult. P. Bernardus, nisi imperative eundem retinuissem, iam discessisset, ego quoque inter tot curas et horaria pericula, nisi officio meo, quod indignus gero, prohibitus fuisset, nec hora mansissem. P. cellerarius, nisi opem a reverend. paternitate vestra obtineat, a concilio ecclesiastico quaesitum (quod cum parva monasterii reputatione fiet) dixit. Si qua placeat, nos pauculos paenes monasterium habere, hic obex amovendus erit, maxime quod nemo sibi facta irruptione militari satis cavere posset, quin abs eodem proderetur. De periculo incendii nil dixerim, cum non his diebus arsisset *Dutschfelden**; rotundis verbis dixit: „*ha, unser Kloster muß auch noch verbrennt sein*“. Conversum Gallum** etiam iniuste publice in mensa taxavit de clave occulta ad cellam, quem mox iussi omnes saccos praesentibus omnibus evacuare, sed nil repertum cum summa eius confusione, super quo et ipse conversus abilitum urgebat. Placeat, qua his tandem miseris nostris finem imponere, aut si nos imposuerimus quacunque licita et religiosa via, aequo animo ferre. Nos eius confidentiae sumus, maioris adhuc aestimationis apud reverend. paternitatem vestram esse, quam patrem istum seniores; cui hactenus omnia ad nutum et voluntatem subministravi, sed omnia in vanum, nisi quod is avocetur et rursus ingruente milite dispersi fuerimus, si qui forte intuitu huius viri et non seculae medelae alio discedant. Ego hisce conscientiam meam exoneratam volo. Haec reverend. paternitati vestrae nemine ex aliis omnibus sciente humiliter suggerere volui, ut mature huic malo mederi et efficaciter possit. Ego cum sacrosanctarum manuum osculo maneo reverend. paternitatis vestrae Idem, qui in litteris.

Original in dem Eitenh.-Münster. Briefbuche Nr. 7.

80. Copiae litterae [abbatis Francisci] ad pp. conventuales monasterii divi Eltonis, domi degentes, 11. Martii 1678, unum et solum p. seniores Amandum concernentes.

Reverend. religiosissimi in Christo charissimi patres. — Caput resolutionis vestrae, ut video, in hoc uno consistit, quod timeatis, occasione iterandae fugae, summum abs d. seniore, tam vestrarum personarum, quam et ipsius monasterii ruinae, quasi certissimum et inevitabile periculum! Doleo, vos eo devenisse, ut aliud

vobis remedium non credatis superesse, quam eiusdem amotionem pro certo symbolo ac mercede alibi absque mora quaerendam. Ego utrisque et vobis et seniori cordialiter condoleo, et emplastrum libentissime subministrarem, dummodo securus essem, amotionem hanc seniori futuram occasionem maioris mali. Unde consiliis et conscientis vestris paterne confidens meque eatenus exonerans, amotioni eiusdem ita subscribo et annuo, ut de tali loco eidem provideatis, ubi nec vobis nec monasterio gravius possit nocere et deteriora machinari. Sed quis hic locus? ubinam terrarum? In his partibus* nemo hominum talem recipiet, etiam post diuturnam desuper habitam deliberationem, unde ad haec loca Helvetiae formare conceptus, inane prorsus et frustraneum vobis erit. Ergo vos invicem deliberate et mihi (si periculum in mora non sit) rescribite, ut sciam, quorsum cum eo velitis. Sin periculum in mora, agite in nomine domini, quod rectum in oculis divinae maiestatis, quod iuri ac sanctae regulae consentaneum ac conforme fuerit. Quamvis non parum mirer, daß ihr mir durch diesen Expressen kein andern Partikular Vorschlag einiches Driß gethon, wohin ihr vermainten mit ihme N. zu gehn! Caute admodum agite et circumspecte et cavete, nec nimium vobis et illi fideite, quia tortuosus serpens morsibus et sibilis suis occultissime insidiatur, proinde iterum dico, cavete, ne amotus et non inclusus N. B. machinetur contra vos tricas usque ad infamiam tam suam et vestram et totius monasterii et congregationis et fiant novissima nostra peiora prioribus. Haec ex paterno in vos affectu. Si ultimato tandem, praeter spem et opinionem, malum hoc a vobis remove non possitis, etiam mea autoritate et licentia, hisce vobis permissa et concessa, poteritis accedere rever. dominum vicarium generalem (quem cordialissime saluto et me et vos et omnia mea anxie, sed sine timore, intimissime commendo) et eidem omnia ostensa hac manu mea filialiter exponere et desuper pium consilium et emplastrum, intra tamen privata sinceri eiusdem erga me animi penetrabilia et petere et rogare et implorare utile et practicum consilium — quis scit? si forte bonus deus, iuxta s. legislatoris nostri Benedicti divinitus inspiratam regulam, etiam tanto meo patrono, revelet et suggerat vobis consilium, quod melius sit. Praemoneo autem vos dilectos filios meos, ut in omnibus sitis benigni s. Francisci regulam cap. 7. imitatores, ubi haec iubet formalia: „et cavere debent, ne irascantur et conturbentur propter pactum alicuius,

* Dutschfelden, Amt Rengingen.

** Gallus Luchs von Heddingen.

* Das ist in der Schweiz.